



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum ex Luthero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

ſter in Baptiſmo adminiſtrando verbis vtatur, dummodo vtatur illis, quæ indicent eum, qui baptizatur, Patri, Filio & Spiritui ſancto initiari & inaugurarî.

Neq; ab hac ſententia abit Lutheranus Brētius, qui in Catechiſmo ſuo capite de Baptiſmo affirmat; verum eſſe baptiſmū, ſi Miniſter poſt recitatum à Catechumeno ſymbolum fidei, ita diceret: *Audiui iam ex te confeſſionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; in hanc igitur confeſſionem intingo te in aquâ, vt hoc ſignaculo certus ſis, te eſſe inſertū Chriſto: vade in pace.*

Antipharmacum ex Luthero.

Hic iterum meritò quis ſciſcitetur, num vera ſint, quæ Lutherus, Zuuinglius, Brentius de Forma Baptiſmi ſcriptis mandarunt. Hunc ſcrupulum eximet nobis Lutherus; qui in Homilia de Baptiſmo Tom. 7. Lat. Witteb. ſe & ſuos ſynergos clariffimè hiſce verbis refellit: *Si infantem tingeres aqua, nec adderes ipſa baptiſmi verba (illa videlicet, ego te baptizo in nomine Patris, &c.) ſed pronunciaris vel orationem Dominicam, aut alia quadam verba è literis ſacris, ea tinctio non eſſet verus Baptiſmus; nec ſatis eſſet, ſi diceres; cur non eſſet verus Baptiſmus? An nõ hic eſt aqua, an non eſt & Verbum Dei? Hic prætextus te nihil excuſaret. De eſt enim pars tertia, videlicet mandatum. Non enim mandauit Deus vt baptizaturus alia verba, quantumuis ſacra, pronunciaris, quàm quæ ipſe præformauit. Itaq; neq; verba (hoc eſt, neq; formam) neq; creaturas (hoc eſt, neq; materiam) tu eliges aut præformabis, nec quidquam ex propria deuotione, proprio conſilio, propria intentione tua, facies aut ſuſcipies, ſed illius mandatum & inſtitutio, tam verba quàm creaturas tibi præſcribet & præſcribet, eaque tibi nullo modo aut mutanda aut corrumpenda, ſed ſanctè & religioſè obſeruanda & retinenda ſunt.*

sunt, &c. Et ut maximè dicas, esse bonam Dei creaturam, & verum sanctumque Dei verbum ac nomen, quovteris, tamen nihil est prorsus, nec id quidquam valebit, nihilque proderit. Non enim Dei mandatum & obedientia ibi vera est, sed propria tua temeritas & libido, scelestaq; inobedientia, satanaque opus, & servitus.

Antipharmacum ex Beza.

Quest. 155.

PORRIGAMVS Zuuinglio antidotum ex Beza, qui in Quæstionibus de Baptismo hanc quæstionem ponit. Ergone cogitur precisè minister uti formula à Christo præcepta? Respondet Beza: Nulla certè iusta causa possit incidere, qua mutationem aliquam in tam paucis verbis possit excusare, quibus integrum illud mysterium diuinitatis declaratur. Quid si quis igitur pro Patre genitorem, pro Filio genitum, pro Spiritu sancto procedentem diceret? Quasi pro tribus personis distinctis, Trinitatem nominaret? Respondet Beza: Quorsum ista, quæso? Iussit Dominus in hoc mysterio non proprietates personales, sed ipsas personas, easq; distinctè innocari. Aliam igitur affectatam formulam pro legitima nūquam admiserim. Audiatur hæc Zuuinglius.

Multo minus igitur admitteres detractionem alicuius Personæ, vel additionem hæreticam, veluti si quis Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum à solo Patre procedentem diceret. Respondet Beza; Rectè sentis. Nec enim hic esset Ecclesiæ Christi Baptismus.

Antipharmacum ex Hunnio.

HVNNIVS de Baptismo cap. 10. Diximus, quod loci eius forma, quam Christus mandauit, non debeat usurpari forma alia, ne quidem sensu æquiualens; non quòd substantia derogetur aliquid, sed quia Christus sui mandati suas habet nouitq; causas, ob quas explicite velit in baptismo singulas Deitatis personas exprimi.

De